

EURICII CORDI CONTRA MALEDICUM THILONINUM PHILYMNUM DEFENSIO.

EURICIVS THILONINO.

T_1 v.1 Cum tibi sublimi est cantata Tragoedia versu,
 2 et multae Satyrae grande volumen habes,
 3 cum tot in innumeras crevere epigrammata chartas,
 4 estque tibi simulans bella Maronis opus.
 5 Praeterea in magnos nova commentaria vates,
 6 quosque alios jactas te penes esse libros.
 7 Quis malus insipidas furor impulit edere nugas,
 8 quas, nisi qui laudat frivola, nemo probat :
 9 non ego, si possem Smyrnaeum reddere vatem,
 10 pessimus in populo Choerilus esse velim.
 11 Quid malesane juvat multis prius usibus aptas,
 12 spurcitie chartas contemerare tua ?
 13 Quas sibi jam nullus cupiet mercator habere,
 14 ne bonus his tunicis inficiatur odor.
 15 Dignum certe opus est quod sordida blatta lacesat,
 16 quodque vetus Phaeton Deucalionque legat.
 17 His nisi non debent emendatoribus edi,
 18 quae sunt ingenio carmina ficta tuo.

THILONINI MUSAS CLAUDAS ESSE ET IEIUNAS.

T_2 v.1 Non longinqua tuae peragrabunt oppida musae,
 2 nam claudos nequeunt rite movere pedes.
 3 Una, supervacuo quae incedere crure videtur,
 4 forte potest socias fortificare suas.
 5 Sed non posse graves, vereor, tolerare calores,
 6 nam miro sitiunt esuriuntque modo.
 7 Accepisse putem diros a dipsade morsus,
 8 et sacrum Cerei subsecuisse nemus.

THILONINUM VITIOSOS JAM VERSUS EDIDISSE.

T_3 v.1 Quae mala sunt dicis, puer haec ego carmina feci,
 2 qua modo defendes te ratione virum ?
 3 Qui meliora nihil primis facis, ergo manebis
 4 idem qui fueras per tria lustra puer.

THILONINI VERSUS NULLIUS ESSE PONDERIS.

T_4 v.1 Si quod abortaris jactas gravipensile carmen,
 2 quemlibet et centum pondo valere pedem.
 3 Mox applaudit iners et non exercita pubes,
 4 suspectique stupens pendet ab ore viri.
 5 Cum velut immisso collutum eclegmate guttur,
 6 supplantat liquido grandia verba sono.
 7 Hoc vafer ignarum studio deludis ephebum,
 8 hac sola in triviis arte placere potes.
 9 Cetera sunt nebulae tenuique simillima fumo,
 10 et leve cum tipulae corpore pondus habent.

THILONINUM ALTERUM ESSE CHOERILUM.

T_5 v.1 Si quis Alexander quoties mala carmina fingis,
 2 in tua contractam fligeret ora manum.
 3 Exarmata tibi dudum gingiva jaceret,
 4 et rabido posses dente nocere nihil.
 5 At modo quos acuis livoris cote molares,
 6 ne solido morsus frangat in osse cave.

THILONINUM ASININUM FOETUM EMITTERE.

T_6 v.1 Post tot promittis praeludia, maxime vates,
 2 quod, tibi quae manet vena, loquatur opus.
 3 Suspensi exspectant aegre et mirantur alumni,
 4 quid trahis in longos fervida vota dies,
 5 num semper sterilis naturam imitabere mulae ?
 6 Esse pater, veluti mater asella, potes,
 7 quae postquam totum male turgida ruderat annum,
 8 et multum excrevit parturiendo fimum,
 9 turpe laboranti, simile et sibi, viscere monstrum
 10 enixa, aurita fit nova prole parens.
 11 Dum tener est foetus mammosa lalisio sugit
 12 femina, mox onager cum nemus intrat erit.

THILONINUM NON NISI CORPORE MAXIMUM POETAM DICII.

T_7 v.1 Maxime quod dixi vates ridere videris,
 2 et verum studiis nomen habere putas.
 3 Longa tuis, vidi, sunt internodia membris,
 4 hoc forsitan poteris maximus esse modo.
 5 Ducta quod est sursum procero littera tractu,
 6 dignius est aliis ergone lambda notis :

7 inter odoriferas servatur amaracus herbas,
8 proveniens juxta flumina lappa cadit.

THILONINUM SE FALSO SAGACEM DICERE.

T_8 v.1 Tune tuo naso nihil esse sagacius, inquis,
2 qui propria olfacias prorsus oleta nihil ?
3 Eructata quibus concedunt allia, quique
4 putribus ex ovis pessimus exit odor.
5 Quam satius fuerit cautum te fingere felem,
6 qui sua sub caecum stercora verit acus.

THILONINUM NON NASUTUM, SED POLYPOSUM ESSE.

T_9 v.1 Tanta catarrhosis tibi stiria naribus haeret,
2 ut male cogaris pessima verba loqui.
3 Immo tumens effert carnosum polypus ulcus,
4 hac ego nasutum te ratione putem.

THILONINUM SE VERE CANEM APPELLARE QUEM HYSTRIX NON TIMEAT.

T_10 v.1 Ut dormire canem sinam cubantem,
2 praestantissime communes Poeta.
3 Te dignum tibi nomen indidisti,
4 qui saevo referas canem latratu,
5 acer vertagus et molossus insta,
6 immo triplice Cerberus figura,
7 virosam exspue protinus salivam.
8 Nil horrens patulos timebit hystrix
9 rictus, namque tuum prius cruorem,
10 quam vulnus facias ei videbis.

THILONINUM FALSIS OPINIONIBUS INFLATUM GLORIARI.

T_11 v.1 Vis dici celeberrimus Poeta,
2 immo maximus optimusque, et idem
3 praestantissimus integerrimusque,
4 sed te scire velim Philymne quam sis
5 abjectissimus omnium Poeta,
6 immo pessimus infimusque, et idem
7 indoctissimus infaberrimusque.

THILONINUM NULLUM OMNIUM POETAM ESSE.

T_12 v.1 Qui te dixerit infimum Poetam,
2 et qui te putat optimum Poetam,
3 errat, nullus es omnium Poeta,
4 tu primus tamen esse vis Poeta,
5 tu primus Thilonine sis Poeta,
6 me non esse velim tibi secundum.

THILONINUM ESSE FASTUOSUM.

T_13 v.1 Si tibi tanta foret laudandae copia venae,
 2 quantus in elato pectore fastus inest.
 3 Crediderim posses celeberrimus esse Poeta,
 4 qui modo vix minimus versificator eris.

THILONINUM NON SUIS SED ALIORUM SCRIPTIS VICTURUM.

T_14 v.1 Dum sacra durabunt doctorum carmina vatum,
 2 aeternam famam vis et habere potes.
 3 Qua Bavius vivit longos et Maevius annos,
 4 haec fore perpetuum te ratione putem.
 5 Hac ratione manet divini carptor Homeri
 6 Zoilus, hac semper vivere quisque potest.
 7 Nil tua te siquidem servabunt scripta, sed horum
 8 quos mala tu rabido bestia dente petis.

THILONINUM FALSO ITALOS PRAECEPTORES JACTARE.

T_15 v.1 Quid tibi vector erat daemon cum sex totidemque
 2 vix horis totam videris Italiam.
 3 Totque in ea audieris dictantes grandia vates,
 4 et qui Cecropias te docuere notas.
 5 Mirum quod potuit te doctior esse Poeta,
 6 cujus discipulum te fore non puduit.

THILONINUM ITALIAM NUMQUAM VIDISSE.

T_16 v.1 Forte ubi depictum caris inspexeris orbem,
 2 objecta est oculis Italis ora tuis.
 3 Sic quoque nos omnes terrarum vidimus urbes,
 4 altaque plus Ithaco per freta scimus iter.

THILONINO MUTIANUM NON PRAECEPISSE.

T_17 v.1 Si tibi praeceptor Rufus, Thilonine, fuisset,
 2 non mala sed scires optima verba loqui,
 3 haec ut plura levi jactas mendacia fastu,
 4 qui tanti numquam videris ora viri.
 5 Ut mihi sunt noti, quos nostros fingis alumnos,
 6 sic tibi, quos falso te docuisse refers.
 7 Esto quod audieris quot praestant undique vates,
 8 degener es tenui carmine discipulus.

THILONINUM CRUDOS SEMPER VERSUS EDERE.

T_18 v.1 Maturos caprificus ante fructus,
 2 et mittent gravidos vepres racemos.
 3 Quam, quos docta probet Minerva, versus

4 expers Castalii dabis Philymne.
 5 Invito Aonidum choro laboras.
 6 Miror qua ratione vis videri
 7 et dici celeberrimus Poeta,
 8 cum nondum minimus, vel inter ipsos
 9 nanos, versificator esse possis.
 10 Non fel judicat, ipsa res docebit
 11 si quondam veniens leget vetustas.
 12 Verbis ingenue tuis fateri
 13 hoc cogeris idem, tuam parumper
 14 si mentem superi tibi favebunt,
 15 insanamque philautiam, et superbum
 16 (quod tandem faciant) prement furorem.

THILONINUM NUMQVAM FORE POETAM.

T_19 v.1 Si vis maximus emori Poeta,
 2 Tithono et Pylio superstes omni.
 3 Et vivacior omnibus Sibyllis,
 4 cornicem superabis, Indicamque
 5 Phoenicem, et Dryadas Philymne nymphas,
 6 immo perpetuum Platonis annum.

THILONINUM ESSE BARBARUM.

T_20 v.1 Cum tu maxime clamitur Poeta,
 2 et non plura mihi est Papyrus, inquis.
 3 Quis sit maxime dic Poeta sermo,
 4 concessus tibi forte barbarismus.
 5 Quod si sic bene dicis, et latine
 6 cur nemo hanc sequitur latinitem ?

THILONINUM VILYMNUM POTIUS DEBERE COGNOMINARI.

T_21 v.1 Si Graecum Latio coire posset,
 2 Vilymnus mihi, non Philymnus esses,
 3 et dignum tibi congruensque nomen,
 4 post tot milia multa possideres.
 5 Non est conveniens minus Philautus,
 6 et sic integra Graeca vox manebit.

THILONINUM GRAVEM ESSE POETAM.

T_22 v.1 Es gravis, hoc unum tibi credo, Philymne, Poeta
 2 qui numquam superum te super aethra levas.
 3 Sed colis immundas tristis velut hydra paludes,
 4 vel qualis medio dipsas in amne sitit.
 5 Quod si difficilem tentes aliquando volatum,
 6 pondere mox recidens tendis ad ima tuo.
 7 Sic volucrem simulas jaculum, qui desuper alto
 8 ex ramo subitae vulnera mortis agit.
 9 Sed tua in horrenti tandem cadet histrice vita,

10 hoc tibi nil umquam verius esse potest.

THILONINUM EX CHRISTI PATRIMONIO VIVERE.

T_23 v.1 Sum fateor pauper, non hoc, Thilonine, negabo,
 2 hoc mihi quod vitium, quod quoque crimen erit ?
 3 Non meus, ut tuus est, didicit pater esse sacerdos,
 4 cui sua continuas ara redundet opes.
 5 In tua conveniunt multi suffragia cives,
 6 unius ex callo vix ego vivo manus.
 7 Dat tenuem nobis victum justissima tellus,
 8 veh tibi qui sacra luxuriaris ope.

THILONINUS PATRI SACERDOTI SCRIBIT.

T_24 v.1 Scis quod alenda novo est nobis Philoglicia sumptu,
 2 et pater auxilio plus opus esse tuo.
 3 Nulla licet rigidum mihi jus alimenta favebit,
 4 tu tamen ut semper mitis adesse velis.
 5 Dic plorare gravi redimendos carcere manes,
 6 pendeat ad sacras multa tabella fores.
 7 Et centum veniae plena da milia corbe,
 8 mox mihi quas mittas dives habebis opes.

THILONINUM SUI GENERIS OBLITUM ALIIS IGNOBILITATEM OBICERE.

T_25 v.1 Rustica quod mihi sit rides, Thilonine, propago,
 2 hoc nullum cuiquam dedecus esse potest.
 3 Hocne mihi in vitium quod sit mea gloria vertis,
 4 ruricolas patriam gaudeo habere casas.
 5 Quas justa utilitas habitat, robustaque virtus
 6 omnis et integritas simplicitasque colit.
 7 Ipsa quibus viguit quondam Germana potestas,
 8 quae modo si superest non nisi rura tenet.
 9 Gratior Aoniis ager est et silva Poetis,
 10 Pieridesque colunt frondea lustra deae.
 11 Natus in Andinis primum Maro vagiit arvis,
 12 proximus Augusto post comes ipse fuit.
 13 Agrestes sed legitimos numerabo parentes,
 14 tu mihi dic quales te genuere tui ?
 15 Quod tibi sit meretrix mater, genitorque sacerdos,
 16 urbanae est nullus nobilitatis honor.

THILONINUM ESSE DE NOBILI GENERE NATUM.

T_26 v.1 Obscuro qui te natum putat esse parente,
 2 errat, habes generis nobile stemma tui.
 3 Praelustris pater est, cui supplice surgit honore,
 4 et nudum inclinat virque puerque caput,
 5 quique Indas indutus opes Tyriumque colorem,
 6 apponit labris aurea vasa suis,
 7 regia stipanti qui dans edicta coronae,

8 in media primus plebe magister ovat.
 9 Quem penes a summo concessa Tonante potestas
 10 claudere caelestes et reserare fores.
 11 Immo ipsum, quoties volet, alto ex aethere Christum,
 12 cogere, et in manibus posse tenere suis.
 13 Tam celebres numerans majores jure superbis
 14 inferiusque tibi, quicquid ubique, putas.

THILONINUM MIRAM HABERE MEMORIAM.

T_27 v.1 Tres, ais, et plures te posse orare per horas,
 2 credimus, ingenii est vis memoranda tui.
 3 Quae queat illius reminisci aetatis et anni,
 4 quo tua adhuc mater nullius uxor erat.

IN THILONINI TERATOLOGIAM AD LECTOREM ARGUMENTUM.

T_28 v.1 Haec ubi Germanis est edita fabula scenis,
 2 mirum, qui vellet plaudere nemo fuit.
 3 Sed media exorsi strepuerunt plebe cachinni,
 4 est quoque displosus voce manumque liber.
 5 Quem si perspicias, dices, haec unde loquendi
 6 sartago ? Num sic lingua Latina sonat ?
 7 Sordida verborum est novitas, et scabra vetustas
 8 tu lepido discas cum Cicerone loqui.

ALIUD IN EANDEM COMOEDIAM.

T_29 v.1 Plus formicarum nemo umquam viderat agmen,
 2 quam quo permolitur sordidus iste liber.
 3 Plures illarum catuli tamen esse videntur,
 4 parvula quos etiam vincere mica queat.

IN THILONINI BATRACHOMYOMACHIAM ARGUMENTUM.

T_30 v.1 Ranarum et murum rides miserabile bellum,
 2 nescis Maeonii est nobile vatis opus ?
 3 Sed male turpavit nativum interpretes honorem,
 4 pulcher equus quondam nunc rudis est asinus,
 5 cui neque sunt aures, neque pendula cauda decori est,
 6 multa sed in putrido tergore musca sedet.

IN THILONINI CUPIDINEM ARGUMENTUM.

T_31 v.1 Ne foret ignotus quondam Thiloninus adulter,
 2 quamque potens Paphium tiro peregit opus,
 3 edidit hunc populo testantem crimina librum,
 4 quem tibi ne redimas casta juventa cave,
 5 ne puros macules stimulante libidine mores,
 6 citra quam positus non ibi versus erit.

ALIUD DE EODEM LIBELLO ELOGIUM.

T_32 v.1 Quae non turpe velit videre scortum
 2 Messalina, nec impudica Lais
 3 nec quodcumque patet procis lupanar
 4 haec vis ut teneri legant ephebi,
 5 immo sordidulo doces labello,
 6 hoc te posse modo putas placere,
 7 perversae siquidem places juventae
 8 quam tecum similis trahit libido
 9 ut frugi placeas viris labora,
 10 nec certe mihi displicebis umquam.

IN THILONINI CHOLEAMYNTERIUM.

T_33 v.1 Si factum hunc nescis Thilonino auctore libellum,
 2 errores videas, illius esse scies.

DE EODEM.

T_34 v.1 Ridiculi cupiens vitiosa poemata vatis,
 2 perlege, quae praesens continet iste liber.

THILONINUM ESSE EXTEMPORALEM.

T_35 v.1 Credimus ut dicis factos ex tempore versus,
 2 testatur longam pagina nulla diem.
 3 Quae cito proveniunt pereunt cito carmina, laus est,
 4 ut maneant, salsos scribere posse modos.

OBIECTOS SIBI ERRORES EXPURGAT.

T_36 v.1 Patri scribe tuo tibi vitrea lumina mittat,
 2 et melius versus deprope cerne meos.
 3 Invenies toto nullas in carmine mendas,
 4 effecit claudum syllaba nulla pedem.
 5 Non quo rere modo sed quinto (perpere) casu
 6 diximus, hoc vecors non, Thilonine, vides.
 7 Nec, si protulerim (confecte famelice) pecco,
 8 adjectum et substans scit rudis esse puer.
 9 Nomen ei Cordus Cordo Cordique licebit
 10 dicere, et hac nullus voce soloecus erit.
 11 Hos mihi dum puris atomos ex versibus effers,
 12 grandia de tetrīs erue saxa tuis.
 13 Cetera quae nostrae tribuis peccata camenae,
 14 non, etiam serpens lynxve, videre potes.

CUR EURICIUS DICATUR.

T_37 v.1 Legerat ut Rici versus, Euricius esto

2 Rufus ait, studii est syllaba prima tui.
 3 Hunc mea (tam vafer es) culpasse poemata garris,
 4 non mea, sed culpat quae, Thilonine, facis.
 5 Hic tibi, nescio quid, scripsit, si non pudet ede,
 6 ut monstres quo te Rufus amore colat.
 7 Qui docuisse nihil sed semper discere dicit,
 8 huic tu discipulus quo potes esse modo ?

BONAM ESSE CORDI APPELLATIONEM.

T_38 v.1 Rufe, meum laudas nomen, Thilonine, reprendis,
 2 utrius est verum, dicite, iudicium ?
 3 Si bona vox multis Cordus scriptoribus olim,
 4 num mihi quod nomen fecerit, ergo mala est ?
 5 Cordus ero donec vescar vitalibus auris,
 6 dii faciant Cordus post mea fata vocer.

THILONINUM MULTINOMIUM DERIDERI.

T_39 v.1 Si tibi quae quondam finxisti nomina vellem
 2 promere, non posset tota sat esse dies.
 3 Mille licet fuerint, plures tamen illa cachinni
 4 in multo doctis orbe fuere viris,
 5 frivola qui dudum deliramenta, meramque
 6 stultitiam nequeunt non reprobare tuam.
 7 Post longum tandem vates resipisce furorem,
 8 et vix versificem te, Thilonine, scies.

THILONINO EOBANUM NON ESSE AMICUM.

T_40 v.1 Perspectum esse velim quo te colat Hessus amore,
 2 quique sibi missum laude celebret opus.
 3 Non ita devotum naso dilexerat ibin,
 4 Vergilio Bavio non ita carus erat.
 5 Si meus es, tuus est Hessus, Thilonine, sodalis,
 6 unus in ambobus spiritus est et amor.
 7 Sed quia non meus es, non est tuus Hessus amicus.
 8 Quod mihi si nolis credere, forte scies.
 9 Tunc bonos nostra corrodas in urbe Poetas,
 10 o quanta est capiti plaga futura tuo.

THILONINUM NON MUSAS SED FURIAS COLERE.

T_41 v.1 Non ideo, quod ferre tuos Erffordia fastus
 2 noluit, Aoniis est inimica sacris.
 3 A doctis potuit furias discernere Musis,
 4 non tu Pieridas sed colis Eumenidas.
 5 Immo malam fervens scoriam non sustinet aurum,
 6 inde simultatis venit origo tuae.
 7 Hoc est quo tacitum tabescit vulnere pectus,
 8 quod te Gericolam Pallada amare vetat.

THILONINUM NIHIL GRAECE INTELLIGERE.

T_42 v.1 Lectus Aristoteles graece est tibi, lectus Homerus,
 2 quid quae non sapias, stulte Philymne, legis ?
 3 Quamvis id solito mentitus more loquaris,
 4 cum nec Aristoteles nec tibi Homerus erat.
 5 Quod quota mendices Graecorum verbula, non est,
 6 ut Graecus doctis ergo Poeta sies.
 7 Lectus Alexander potius tibi debuit esse,
 8 ut quae quantaque sit syllaba scire queas.
 9 Turpiter hoc semper vitio peccare videris,
 10 ergo prius Latio disce tenore loqui.

THILONINUM LIBRORUM COPIAM JACTARE.

T_43 v.1 Quicquid Cecropii, quicquid peperere Latini,
 2 hoc tua conclusum scrinia dicis habent.
 3 Contra, Bergomidae nisi pauca vocabula fratris,
 4 insimulas aliud me penes esse nihil.
 5 Malo mihi semper vacuum fore bibliothecam,
 6 quam quod furtivos dicar habere libros.

CUR TOTIES THILONINUM POETAM APPELLARIT.

T_44 v.1 Quod mihi sis decies dictus totiesque Poeta,
 2 ex libris didici, docte Philymne, tuis.
 3 Hoc nisi te scriptum nusquam cognomine vidi,
 4 hoc tamquam grave sit non posuisse nefas.
 5 Vera et honesta potest nostra appellatio dici,
 6 non, quae de proprio laus venit ore, placet.

CONVICIANTEM THILONINUM RECALCITRAT.

T_45 v.1 Falsa quod injicias integrae crimina vitae,
 2 officium peragis pessime scurra tuum.
 3 Qui natus, qui nutritus per crimina, quique,
 4 jam mala confessae crimina plebis edis.
 5 Disce prius nostros quam carpas invidere mores,
 6 non quo consuesti vivere, vivo modo.
 7 Qui te sectantur, de me non vera fatentur,
 8 namque maligna potest non bene lingua loqui.
 9 Est mihi casta domus, quam simplex ornat honestas,
 10 canaque sincera cum probitate fides.
 11 Cujus erit verus, qui noverit omnia, testis,
 12 quos mihi si nolis credere, quaere bonos.

THILONINUM TAMQUAM RABIDUM CANEM OCCIDENDUM.

T_46 v.1 O vestras armate manus quicumque Poetae,
 2 huncque gravi rabidum fuste necate canem.
 3 Plura venenosi ne infligant vulnera morsus,

4 publica commune est perdere damna bonum.

CONTRA PHILYMNEAM RABIEM ANTIDOTUM.

T_47 v.1 Nescio quas divi claves mercamur Huperti,
 2 quae praesens rabidis esse medela solent.
 3 Quam curto, pluris non singula venditur, asse,
 4 hoc morbi antidotum quaere, Philymne, tui.
 5 Quando vagi druides sua tintinnabula pulsant,
 6 arcanisque ferunt annua festa sacris.
 7 Ast alia ratione sciunt succurrere, si te,
 8 talia qui vexit sacra, videbit equus.
 9 Dummodo purgatae modius portetur avenae,
 10 hoc breve pro magna est commoditate malum.

EPITAPHIUM CUIUSDAM THILONINI FATUI, VULGO, THIEL VON DER LERCHEN.

T_48 v.1 Si nescis fatuus jacet hac Thiloninus in urna,
 2 quo fuit in tota notius urbe nihil.
 3 Qui centum quatiens circum sua tempora nolas,
 4 ludicra ridentis gaudia plebis erat.
 5 Tantis deliciis ne sit privata juvenus,
 6 illius assimilem jam Thiloninon habet.

THILONINUM INTER MALOS OPTIMUM ESSE POETAM.

T_49 v.1 Quam malus est qui pessimus est, Thilonine, Poeta,
 2 illius, in quo vis optimus esse, chori.

THILONINUM SIBI PLACERE.

T_50 v.1 Displicet hic aliis sibi qui placet, inde Philymne est,
 2 quod nequeas doctis ipse placere viris.

THILONINUM A NULLO DOCTO LAUDARI.

T_51 v.1 Omnibus invidias doctis, Thilonine, necesse est,
 2 si, tua qui reprobant scripta ; favere nequis.

IDEM.

T_52 v.1 Cui tua barbaries, vana et jactantia cordi est,
 2 hunc ego cordatum non reor esse virum.

IDEM.

T_53 v.1 Esse tuos dicunt nanos, Thilonine, libello,
 2 grande caput monstrant, cetera pars nihil est.

SIMILE.

T_54 v.1 Cum quod nemo sciat noris, cur quod sciat omnis,
2 ignoras ? Puto quod nil, Thilonine, scias.

CONTRA QUOD THILONI. EURICIUM IMPOTENTEM DIXERIT.

T_55 v.1 Semivirum vocitas et me nil posse pusillum,
2 hinc natum Cordi nomen et esse mihi,
3 semivir ingentem te non trepidabo gigantem,
4 quid nostrae possunt, experiere, manus.

THILONINUM POETAE UMBRAM HABERE.

T_56 v.1 Quilis Onocrotalus cantantes inter olores,
2 talis in Aonio tu, Thilonine, choro.
3 Forma fere cygni est, ravum vox rudit asellum,
4 non es quod fatuis crederis esse viris.

THILONINUM AMBITIONIS MORBO LABORARE.

T_57 v.1 Si nescis aeger qua peste, Philymne, labores,
2 cur male sit sanum desipiatque caput.
3 Ausculta, referam, popularibus ebrius auris,
4 et nimia turgens ambitione furis.
5 Hoc mihi non credis, medicum tu consule vitrum,
6 curabit multum qui dabit elleborum.

DE VARIIS THILONINI NOMINIBUS.

T_58 v.1 Consulite in medium, dubio succurrite vati,
2 magna sub ancipiti pectore causa sedet.
3 Nescit adhuc quis vult a posteritate vocari,
4 namque satis dignum non sibi nomen habet.
5 Tilo fuit primum, post Tylus, deinde Thiellus,
6 deinde Thielmannus, mox Tilimannus erat.
7 Prodiit hinc Telamon, Telamonius inde vocatur,
8 Castalias siccat jam Thiloninus aquas.
9 Auguror et vera praesagia nuntio voce,
10 venturis nomen nullus habebit avis.
11 Sed spero nostro Thiloninus carmine vivet,
12 id quamvis nomen perdere forte velit.

AD THILONINUM CONCLUSIVA ADMONITIO.

T_59 v.1 Thilonine mi Philymne, si vis credere,
2 te rideo, tuasque nil facio minas.
3 Effunde quantascumque habes jam copias,
4 extraque castra bellicosam educ manum,
5 et ut libet parata sit ferro phalanx,

6 tibi obviam pusillus atque semivir,
 7 majorem et expeditiorem exercitum
 8 ciebo, qui, velut vagum vespae bovem,
 9 te per fragosa tesqua, per duras vepres,
 10 cavasque valles, alta per cacumina,
 11 per opaca stagna, per paludosos lacus,
 12 ad infimum usque persequetur Tartarum,
 13 tecum bona quiesce pace si potes.
 14 Et his ut ipse me valere vis vale.

AD CANDIDUM LECTOREM AUCTORIS EXPURGATIO.

T_60 v.1 Haec quicumque vides, si sunt convicia, lector,
 2 parce, movet justus concita corda furor.
 3 Praecipitemque trahit, quo non solet ire camenam,
 4 quae tranquillae alias foedera pacis amat.
 5 Comis et humanus facilique affabilis ore,
 6 mitia secluso pectora felle gero.
 7 Nullus inest nobis fastus, qui talia trudat
 8 jurgia, simplicitas integritasque placet.
 9 Dignum laude virum non nostra Thalia lacescit,
 10 sed quo prava bonis lingua nocere parat.
 11 Quis ferat indocti temeraria facta Poetae ?
 12 Quis sinat in viva tela sedere cute ?
 13 Socraticum dices num sic meditaris asellum ?
 14 Hoc juvat iligno fuste dolare pecus.
 15 Et solidae affixum calci divellere ferrum,
 16 ne feriat duros in mea crura pedes.
 17 Dii faciant nudis rapiantur tergora costis,
 18 et lacerent avidae putre cadaver aves.
 19 Tunc si praeteriens conspexerit ossa viator,
 20 diceret "O ingens iste caballus erat".
 21 Non tanti Phrygiis onagri pascuntur in arvis,
 22 esse nequit tantus bubalus atque bison.

MUSAS AD TEMPUS RELEGAT.

T_61 v.1 Sit satis haec subito musae effudisse furore,
 2 dum mea per praeceps ira cucurrit iter.
 3 Sub calido fortes exstinguite pectore motus,
 4 a domibusque citae protinus ite meis.
 5 Ite procul notos in Phocide quaerite montes,
 6 quosque alios dicunt vos habitare locos.
 7 Tristius incumbit studium, numerosa sophorum
 8 littera, marmoreas figitur antefores.
 9 Me juvat ignotas rerum jam discere causas,
 10 et certa verum cum ratione loqui.
 11 Hac novus incipiam miles sudare palaestra,
 12 haec erit ad reliquos sollicitudo dies.
 13 Interea mea ne turbetis coepta cavete,
 14 non ego vos solito captus amore colam.
 15 Liberiora vacans donec dabit otia tempus,
 16 et teget excultum digna tiara caput.
 17 Tunc pleno appropriate choro cum praeside Phoebos,

18 concita veloci carmina ferte pede.
19 Tunc date spica mihi vehementibus acta lacertis,
20 tuncque meus vestram sentiat hostis opem.
21 Annuitis video, rata sunt mea vota, valete.
22 Fervidus offensi nominis ultor ero.